



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis**

**Ferdinand <Köln, Erzbischof>**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

De Sacramento Baptismi notæ speciales.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39761**

Instructio de S. Baptismi.  
DE SACRAMENTO  
Baptismi Notæ.

## I.

In baptis-  
mi collatione  
necessaria.



**B**aptismus qui collaturus est, ante omnia ma-  
teriam, formam & intentionem debitam adhi-  
beat necesse est.

Baptismi  
materia  
quæ.

**II.** Materia est omne aquæ naturalis genus, siue ea sit  
maris, siue fluuij, siue putei, aut fontis, paludis, pluuia, &  
quæcunque sine adiunctione aqua dicitur, liquore ex  
herbis, floribusque educto Baptismus confici nequit.

Aqua ba-  
ptismalis  
consecran-  
da.  
De consecr.  
dist. 4. cap.  
Duo tempo-  
ra et pro-  
prio.

**III.** Atque hæc aqua quoties cum solennibus cære-  
monijs baptismus administratur, infusione noui istius  
anni Chrismatis, si haberi poterit, & institutis ad eam  
rem orationibus sanctificata esse debet. idque tempori-  
bus ab Ecclesia præfinitis, nempe Vigilia Paschæ, &  
Pentecostes.

Catechism.  
Roma de  
Bapt. cap. 2.  
De consecr.  
dist. 4. cap.  
Si quis.

**IV.** Estque illud iam inde à temporibus Apostolorum  
ita receptum & vsitatum in Ecclesia, vt qui extra neces-  
sitaris casum alia quàm prædicto modo benedicta aqua  
baptizaret, non leue peccatum committeret.

Aquæ ba-  
ptismalis  
deficiens  
renouatio.

**V.** Quod si fontem sacrum ante tempora benedictioni  
destinata vel exhauriri, vel profanari, aut etiam corrup-  
pi contingat, tum aqua veteri effusa, fonteque benè loto  
atque purgato noua infundatur, eademque benedicatur,  
& chrismatis infusione sanctificetur.

**VI.** Leprosorum filij non supra fontem sunt baptizandi,  
sed

## Instructio de S. Baptismi.

5

sed supra peluim hausta modica aqua benedicta è fonte, & cum alia non benedicta permista. Quæ baptismo peracto non in fontem, sed piscinam fundenda erit.

Aqua qua leprosi baptizati, quò fundenda.

**VII.** Forma baptismi est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Baptismi forma.

**VIII.** Quæ quidem verba clarè, distinctè grauiusque proferenda sunt, & cum materia ita coniungenda, vt quo tempore caput aqua perfunditur, eodem & ipsa enuncientur.

In baptismo verba quomodo proferenda & a quo.

**IX.** Quin etiam idem sit oportet, qui infantem abluit & formæ verba pronunciat.

**X.** Atq; huic propositum esse debet eum, qui baptizatur, à peccatis mundare, Christoque regenerare vel salutem id facere, quod Ecclesia facit.

Intentio baptizantis qualis esse debeat.

**XI.** Minister ordinarius huius sacramenti est Episcopus in sua Diocesi, & Parochus in sua Parochia, & cui isti vices suas delegarunt.

Minister baptismi quis.

**XII.** Sed quia sine baptismo re aut voto suscepto nemo salutem consequi potest, cogente summa necessitate seu mortis periculo omnibus omninò hominibus sine solennibus cæremonijs baptizare permittitur, siue mares illi sint, siue foeminæ, quamcunq; sectam profiteantur, ne parentibus quidem exceptis, modò adhibita materia & forma id facere proponant, quod Ecclesia Catholica facit.

Minist. baptismi in necessitate.

30. q. 1. cap. ad limina.

**XIII.** Inter quos iste seruandus est ordo, vt Sacerdos Diacono, Clericus Laico, vir mulieri præferatur; nisi

Ordo in ministris baptismi seruandus.

De Cler. non ord. cap. 1.

A 3

huic

huic melius fortassis cognita essent, quæ ad sacramenti huius substantiam pertinent, aut in ipso pariendi actu mulierem viro anteponendam honestas suaderet.

**XIV.** Danda est igitur Pastoribus opera, vt omnes, qui eorum curæ subsunt, accuratè perspecta habeant, quæ ad baptismi substantiam pertinere diximus, vt necessitate postulante rectè baptizare possint.

*Sacerdotes  
qui bap-  
tizate pos-  
sunt.*

*De Cler. non  
ord. cap. 1.*

*Parochi  
quos bap-  
tizare  
possint.*

*16. q. 1. cap.*

*Interdici-*

*mm.  
Si mascu-  
lus pro foe-  
mella bap-  
tizetur,  
& contra  
quid faci-  
endum.*

*Infantes  
qui bap-  
tizandi, &  
quando.*

**XV.** Sacerdos qui Parochus non est, nec ab eo facultatem expressam, aut præsumptam habet extra necessitatis casum baptizans grauiter peccat.

**XVI.** Sed nec Pastoribus quoslibet infantes vndecunq; oblatos permittitur baptizare, sed eos tantùm, qui ipso-  
rum curæ subsunt, nisi necessitas aliud requirat.

**XVII.** Quod si baptizans non satis præsentì actioni intendens in sexu errorem committeret, masculũ pro foemella aut cõtra baptizando (quod tamen summo studio cauere debet) non est propterea iterandus baptismus, sed nomina solũ pro sexus qualitate mutanda.

**XVIII.** Infantes quamdiu vtero materno penitus inclusi latent, baptismi capaces non sunt; in lucem verò editi, quàm primũ sine periculo fieri potest, in Ecclesiam perferantur, vt solenni ritu baptizentur.

**XIX.** Ad quod prima quoque oportunitate præstandum diligenter Parochi suos hortabuntur fideles. Nam cum infantibus nulla alia cõparandę salutis relicta sit ratio, quàm baptismus re ipsa, & non tantum parentũ voto adhibitus; facilè perspicitur, quàm graui culpa sese ob-

strin-

## Instructio de S. Baptismi.

7

stringant, qui eos diutius quam necessitas postulat, sacramento gratia carere patiuntur, cum praesertim propter etatis imbecillitatem infinita penè vitæ pericula illis impedeant.

**XX.** **A**mentes, qui nullum unquam rationis usum habuerunt, non secus atque paruuli in fide Ecclesiae baptizari debent. Qui verò ratione aliquando usi fuerunt, atque tum baptismi suscipiendi voluntatem ostenderunt, imminente mortis periculo abluendi sunt, alioqui à baptismi collatione abstinendum. Idem de dormientibus iudicium esto.

Amentes  
qui bap-  
tizandi.

**XXI.** **I**n fideles adulti ad baptismum aspirantes antequam eo donentur, **P**rimùm in doctrina fidei, quam ipsi per se profiteri debent, & Christianæ vitæ institutionibus sunt diligenter instruendi: **D**einde ad antea acti temporis peccata ex animo detestanda, nouamque vitam inchoandam sedulò cohortandi: **Q**uibus ita praemissis si ab omni fictione vacui baptismum petere videbuntur, eum consequantur.

In fideles  
adulti quomodo  
baptizandi.

1.

2.

3.

**XXII.** **Q**uod si impendens mortis periculum longiorem informationem non permittat, tum pro ratione periculi instructi baptizentur.

**XXIII.** **N**ec imprudenter Pastores facient, si hæreticos regenerationis sacramentum petentes, vel de suscepto baptismi dubitantes, non tantum in ijs, quæ modò dicta sunt, diu multumque exerceant; verum etiam ad errores mente conceptos abiurandos, & fidei professionem, iuxta formam à Pio V. præscriptam edendam astringant.

Hæretici  
quomodo  
ad bap-  
tismum ad-  
mittendi.

**XXIV.** **I**n-

## 8 Instructio de S. Baptismi.

Filij infide-  
lium non  
baptizandi.  
Filij hæreti-  
corum ba-  
ptizandi.

**XXIV.** Infidelium filij, qui rationis vsum nondum at-  
tigerunt, non sunt inuitis parentibus baptizandi. At hæ-  
reticorum liberi parentibus etiam nolentibus, rectè &  
piè sacro lauaero expiantur, quòd parentes Ecclesiæ  
subsint. Sed prouidendum studiosè, ne parentum vel a-  
liorum hæreticorum consuetudine hæresin imbi-  
bant.

Fœtus mō-  
strofi quo-  
modo ba-  
ptizandi.

**XXV.** Monstrofi fœtus, quibus duo sunt capita, toti-  
demque pectora, vt duo homines baptizari debent, id-  
que semper, quando ex vitalibus operationibus distin-  
ctio suppositorum certò cognosci potest. De qua si du-  
bitetur, alter absolutè, alter sub conditione baptizan-  
dus erit.

Baptismus  
sub condi-  
tione.

**XXVI.** Baptismus semel ritè collatus sine sacrilegio ite-  
rari nequit. Quod si diligenti inquisitione facta non po-  
test certò comperiri, num quis sit baptizatus, tum hæc  
verborum forma erit abluendus N. si non es baptizatus,  
ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus  
sancti.

Casus in  
quibus ba-  
ptismus cō-  
ditio-  
nalis  
vsurpandus

**XXVII.** Sunt autem varij casus, qui probabilem dubi-  
tandi causam adferre possunt. 1. Si nempe ob imminens  
mortis periculum infans adeò præcipitanter & tumultu-  
uariè sit baptizatus, vt certò constare nequeat necessa-  
ria omnia fuisse adhibita. 2. Si in partu geminorum plu-  
riumve vnus caput emissum atque salutari vnda per-  
fusus in vterum se recipiat, & postea de se dubitandi oc-  
casionem præbeat. 3. Si puer exposititiuus nullum certum  
atque

## Instructio de S. Baptismi.

9

atque indubitatum sui baptismi præ se testimonium ferat.

**4.** Si inter infideles aut hæreticos maximè Anabaptistas quis educatus, neque ipse baptismatis sui recordari, neque per idoneos testes de eo suscepto certior fieri possit, aut si ab illis baptizatus, qui ut à Catholica Ecclesia dissentiunt studiosè Sacramentorum formas peruertunt, materiam contemnunt, intentionem viciant. **5.** Si denique in difficili partu membrum aliquod (excepto capite) extra vterum porrectum salutari fonte ablutum fuerit. Quo quidem casu si infans postea mortuus ex vtero extractus fuerit, in loco sacro sepeliendus erit. Caput propterea exceptum est, quod illo extra vterum extante baptizato, ne conditionatus quidem adhiberi debeat.

**XXVIII.** Qui ob impendens mortis periculum sine solennibus cæremonijs sunt baptizati, superato isto periculo, sunt in Ecclesiã deportandi, ut ritus omitti suppleantur.

Cæremoniæ omittæ  
supplendæ.

**XXIX.** Ad idem præstandum non tam cogendi (quandoquidem ea rituum suppletio non est simpliciter necessaria) quàm suauiter inducendi sunt, qui ab hæreticis verè baptizati ad Ecclesiam veniunt Catholicam. Quamuis enim qui absque solennibus cæremonijs siue ex necessitate, siue ex contemptu ab hæreticis baptizati sunt, totius peccati ac pœnæ æternæ remissionem acceperint: non tamen ob id inutiliter postea Exorcismus aliæque cæremoniæ illis adhiberi censendæ sunt, quæ ad hoc valent, ut in administratione sacramentorum vniformitas seruetur, quam Ecclesia semper fecit maximè; tum ut contra multiplices infestationes Sathanæ tam internas, quàm externas

Quid in  
supplendis  
cæremonijs  
agendum  
cum  
his, qui ab  
hæreticis  
baptizati  
sunt.

Cur ritus  
omitti  
suppleantur.

B

Exor-

3. Exorcismi virtute muniantur baptizati; atque vt accepta gratia baptismatis augmentum consequantur.

Rebaptizantium  
pœna.  
Catech. Ro-  
man. de ba-  
ptismo c. 13.

cap. De qui-  
bus. De ba-  
ptismo et  
suis effectibus.

Patrini qua-  
les non al-  
sumendi.  
De consecra-  
tione. 4. cap.  
Non licet.  
De cognat.  
spiritu. cap. Si  
vir.

De consecr.  
tione. 4. cap.  
Vos autem  
Patrinorum  
obligatio.

De nomi-  
nis imposi-  
tione.

**XXX.** Qui Sacerdotes sine delectu conditionatum baptismum infantibus impendunt, nulla inquisitione facta, fuerint ne antea baptizati; vel etiam, quod deterius est, quamvis exploratum habeant baptismum ab obstetricibus, vel alijs legitimè administratū esse, eundē tamen repetere solēni cæremonia nō dubitāt; sciant id facere nō licere sine magno sacrilegio, & se irregularitatē incurrere. Verūm si propter obstetricis vel laici baptizātis imperitiā, aut malitiam siue perturbationem aliquid dubitetur, num ritē baptismus collatus sit, sub conditione baptizetur.

**XXXI.** In patrinis legendis & assumendis delectu opus est, vt nec infideles, nec hæretici, nec excommunicati, neque vlli religiosi aut religiosæ ad pueros de fonte leuandos admittantur, parentes ne in casu quidem necessitatis liberorum quos genuerunt, patrini esse possunt. Arcentur & publici peccatores, nescientes orationem Dominicam, & symbolū, & quicumq; ad alios instituendos sunt in idonei.

**XXXII.** Atq; his illa D. Aug. serm. 163. de tēpore diligēter inculcāda est exhortatio, vt ante omnia cognoscāt se fidei iussores apud Deum extitisse pro illis, quos de sacro fonte suscepere, ideoq; semper eos admoneant, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant, eosdemq; symbolum, orationem Dominicam, Decalogum, cæteraq; fidei Christianæ rudimenta doceant.

**XXXIII.** In nomine imponēdo tā patrini, quā parentes docēdi sunt, decere maximè, vt filijs suis nomina sanctorū

impo-



## Instructio de S. Baptismi.

II

imponant, quos imitari studeant, precenturq; & sperent aduocatos ad futuros, ad salutem tum animarum tum corporum defendendam. Ut autem Ethnicorum aut alias ridiculis aut prophanis nominibus eos vocent, nullo modo permittent.

**XXXIV.** Est & illa Trid. Concilij seruanda constitutio, ut non nisi vnus aut summum vnus & vna ab ijs, ad quos id spectabit, designati patrini recipiantur; cum ob causas alias tum quia ordo disciplinæ a multitudine perturbari solet: tum ne ex multiplicata cognatione spirituali, quam patrini cum baptizato eiusq; patre & matre contrahunt, incommoda nascatur: tum ut a sacratissimo mysterio relegentur contentiones irreligiosæ de nomine: Plures si baptizandum contingant, affinitatem non contrahant, nisi ad summum duo, qui designati sunt.

Patrinorum  
numerus.  
Co. cil. Trid.  
sess. 24. c. 2.  
de reform.  
Matrimo.

**XXXV.** Habeant Parochi librum, in quo nomina baptizati, parentum atq; patrinorum eorum solum, qui electi ut puerum de fonte suscipiant, & affinitatem contrahant, cum anno, mense, ac die baptismi administrati conscribant.

Liber ba-  
ptizatorum.  
Conc. Trid.  
ubi supra

**XXXVI.** Moneant in super frequenter matres atq; nutrices, ne infantulos noctu secum in lecto habeant, ne quod non raro euenire solet, suffocentur; aut saltem ita eos accommodent, ut extra periculum sint.

**XXXVII.** Obstetrices nullæ nisi Catholicæ & approbatæ tolerari debent, atq; hæc non tantum de ijs, quæ ad sacramenti essentiam pertinent, instruendæ erunt; verum etiam ut os parturientis, si in partu moriatur, apertum teneant, vterum tempori scindendum, foetumq; extrahendum curent, ut si adhuc viuat, salutari lauacro expietur: sin mortuus fuerit extra cœmeterium sepeliatur.

Obstetrices  
quales esse  
debeant.  
Statuta Si-  
fridi cap. 4.  
pag. 38.

B 2

XXXVIII. De-

Locus in  
quo bap-  
tismus ad-  
ministran-  
dus.

**XXXVIII.** Denique & illud Pastores sciant, extra necessitatis casum, semper in templo, non autem in priuatis ædibus baptismum conferri debere.

**ORDO ET MODVS**  
administrandi sacramentum  
Baptismi.

I.  
Agenda in  
templi por-  
ticu aut lo-  
co à bap-  
tisterio ac  
choro dif-  
finito.



II.

III.

IV.

V.  
Instructio-  
ne de ba-  
ptismi na-  
tura & effe-  
ctis finita  
statim si-  
gnandum.

Acerdos baptismum collaturus superpelliceo & stola indutus baptizandum si adultus sit, alioquin paternos in porticu templi, aut ipso templo, loco tamen nonnihil à choro & baptisterio remoto stantes interroget, quid petant, Quibus se baptismum petere respondentibus, mox de sexu percunctetur, & si quidem masculus sit ad dexteram, sin foemella, ad sinistram statuatur, Postea quo nomine baptizandum vocari velint, roget, Quo intellecto ipse vultu ad orientem conuerso actionem ipsam aggrediatur, & quidem si ita videbitur, & temporis ac personarum ratio admittat, ab exhortatione ad circumstantes quæ ad calcem huius sacramenti infra subiecta est, signando se crucis signo dicat :

In nomine Pa **✠** tris, & Fi **✠** lij, & Spiritus **✠** sancti, Amen.

Deinde à susceptoribus quærat.

Begert ihr / daß diß Kinde getaufft werde

Respon-